

Mrugaczewski Michael

Garycki Bonifacii Praestantia Theologiae et Doctoris Theologi.


PRÆSTANTIA.
Theologiæ, & Doctoris Theologi.

Circa solennem ad Doctoratum in Sacra Facultate Inaugurationem

Perillustrium Clarissimorum & Admodùm Reverendorum Dominorum

D. M. JACOBI NIEGOWIECKI,

Sacræ Theologiæ Licentiati, & PROFESSORIS, Geometræ Jurati, Ordinarii Mathematici, Collegæ MAJORIS, Ecclesiarum; Collegiatæ S. ANNÆ DECANI, Parochialis in Zielonki CURATI.



D. M. MICHAELIS MRUGACZEWSKI

Sacræ Theologiæ Licentiati, Cursûs Polemici PROFESSORIS, Geometræ Jurati, Collegæ MAJORIS, Ecclesiarum; Collegiatæ S. FLORIANI CANONICI, Siradiensis Cancellarii, Parochialis in Gołcza CURATI,

Laureas conferente Doctorales



PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO

D. M. ANTONIO ZOŁĘDZIOWSKI,

Sacræ Theologiæ & Utriusque Juris DOCTORE & PROFESSORE, Facultatum; Theologicæ, Medicæ & Philosophicæ PRO CANCELLARIO, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Collegiatæ Visliciensis SCHOLASTICO, Parochialis S. JACOBI Casimiriæ PRÆPOSITO, Seminarii Academico-Diœcesani PRÆFECTO.

Sub tertio semper felicissimo Regimine
PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI
D. M. ANDREÆ
LIPIEWICZ
Utriusque Juris DOCTORIS & PROFESSORIS, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICI, Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ CUSTODIS, Parochialium, in Koniusza & Igołomia CURATI, Scholarum Nowodworscianarum, necnon Contuberniorum Jurisperitorum & Regio-Jagelloniani PROVISORIS, Facultatis Juridicæ PRO-CANCELLARII, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis Magnifici & Amplissimi
RECTORIS,
Distinctissimis coram Hospitibus
à
M. BONIFACIO GARYCKI
Philosophiæ Doctore & Professore, Collega Minore,
Oratione
DECLARATA.
ac
IISDEM PERILLUSTRIBUS DOMINIS
recenter DOCTORIBUS renuntiatis
PATRIBUS SUIS & MECÆNATIBUS
in votivam supremi istius litterarii honoris aggratulationem perennequé reverentis animi testimonium
NUNCUPATA.
Annô post natum Christum 1777. *Die* 4. *Mensis Februarii.*

PERILLUSTRES, CLARISSIMI, & Admodùm REVERENDI DOMINI NEODOCTORES, PATRES & MECÆNATES!



Atis certum ſentio, Viri virtute ac eruditione Præſtantiſſimi! Veſtræ erga me benevolentiſſimæ voluntatis argumentum, quum me laudatione Hujus Cœleſtis Supernæq; Sapientiæ Theologiæ cohoneſtare decreviſtis. Perfacilè inde intellexi, præſentem Orationem meam, non quopiam alio, ſed veſtro meritiſſimo Nomine ornari debere. Et ſanè, cuinam inſcribendam illam putarem? niſi Iis Viris, Qui neceſſariam conjunctionem, omnemq; Societatem cum Divina hac Facultate habentes dubium reliquiſtis, Vobisné à Theologia, quàm Theologiæ à Vobis plus ſplendoris atq; ornamenti acceſſiſſe? Tales enim Vos tantosq; Viros Sacra Scientia Doctorali ſibi devincit laurea, qui & à natura ad quæq; optima comparati, & longa exercitatione diuturnoq; uſu ad difficilia quæq;

formati, integritate Ecclesiasticæ vitæ conspicui, moribûs probi, meritis graves, summum Ei decus conciliatis. Imò, nisi id, quod re vera est, dissimulare velitis, hunc splendidissimum Theologiæ prærogativæ gradum, vestris unicè meritis acceptum referere debetis. Si verò is, *Principi Oratorum Tullio,* & honestus, & honeratus videtur, qui honorem sententiîs, qui suffragiîs adeptus est, *profectò Vos estis amplissimi, qui virtute ac eruditione Vestra ad supremum Theologici Honoris fastigium evehimini. Qua de re ùt plurima & illustria dederitis testimonia, illud tamen præcipua laude dignissimum puto, quod Ipsi in procinctu doctrinæ vestræ penitissimè intellexistis, Religionem Christianam, id est, Supremam Dei Sapientiam* abscondiṫam à sæculo, *in Christo tandem patefactam, salubrem illam Philosophiam non adspernari neq; evertere, sed velut pedissequam individuam adsciscere, & præclarò consortiò sibi copulare. In quo non modò Immortalia Ecelesiæ Dei Decora, humanarum Divinarumq; rerum scientissimos ipsos & consultissimos inter Christianos Auctores planè imitamini atq; exprimitis, verùm acutiùs etiam rationis ac Fidei remotissimos fines longè prospectatis. Vetustissimæ quoq; voluistis Academiæ dignitati consulere; &, quemadmodum artes omnes, ùt Cicero ait; vinculo quodam inter se continentur; ita peramplo ingenii Vestri ambitu singula earum studia conjunxistis. Quæ quum sint, quantîs nominibûs, & Præclaris Theologis, & Magnis Philosophis, & Parentibus Litterarum, quas semper comites, & in omni Academicæ dignitatis gradu administras habuistis; Laudationem istam Theologiæ qualemcunq; debeo? Illud duntaxat unum Vos oro obtestorq;, ut Orationem meam, quæ gratiâ solennis Vestræ Inaugurationis instituta est; perquam hodiernæ celebritati accommodam, ea, qua prædìti estis humanitate complectamini. Id ego si obtinuero, satis amplum ingenii mei fructum percepisse videbor, spemq; concipiam id fore præcipuum meæ erga Vos observantiæ pignus, & amplioris Vestri erga me patrocinii monumentum.*

Ode

JUrata doctis Pallas honoribus
Assurge, quæso, nec propriæ memor
Divinitatis, fac ministram
Et sacra sterne mitrîs theatra.

Multa redemptæ merce scientiæ,
Multoqué partæ sanguine Laureæ
Diisquè mentes fœderatæ
Theologæ famulas Deorum

Dextras reposcunt: fas, Deus ut Diis
Insudet alter; quos Toga doctior,
Et vita librorum perennis
Ignibus æthereis adoptat,

Horum Deæ & Diî pignora pectoris
Fas est, ut ornent laudis adoreâ
Cœlo stupendâ consecrando
Canitiem viridesqué curas.

O me

O me ſecundus ſi ferat entheus!
Citando greſſus, ibo, ubi CANTII
Multas per ætates honori
Thuricremi famulantur ignes.

Heu! quæ Virorum conſpicio agmina!
Qualesvé cœtus! en meritis graves
Annisqué, ſuccinctæqué curis
Senſa vomunt Animæ retruſa.

En ſe viciſſim Gloria mutuis
Hortatur ausis, diſcolor ingeni
Relucet in vultu venuſtas
Et vario magis igne pulchra.

O! quàm potenti nixa ſcientia
Edocta Virtus lucra ſibi facit,
In ore, quam nutrit ſacrati
Par venerabilius Lycæi,

Quis NIEGOVIECCII pectoris impetus
Suiqué largam neſciat indolem
Plenoqué conſtanter redundantem -
Ore Deum niveosqué cultus?

Namque

Namque & Deorum fixa adamantinis
Decreta valvis non humili potens
Audet remoliri calore
Et valido replicare nisu.

Inevoluto seu calor incitat
Instare vero, nec dubio Deum
Urgere gressu, mox recludit
Divitis ingenii recessu.

Hic litterati plurimus otii
Sic concitatis passibûs arduam
Viam remetitur, Deorum
Noverit ut penetrare calles.

MRUGACZEVII an pressero Spiritûs
Flammas? & ampla divitias penu
Fusas? redundantesqué fruges
Ingenii, cumulosqué mentis?

O! Lux docentûm clara Cohortium
Hæresqué Ludi, Theologî nitens
Decor Senatûs! ô Ocelle
Nobilium venerande Patrum!

Te

Te candor altæ proditor indolis;
Virtus profuſi nuntia pectoris,
Mens, Corporatô ſepta Verbô
Cœtibus accumulat beatis.

Tu Incomprehenſi difficilem aſpici
Gaudes Tonantis currere ſemitam,
Et illa mortali Deorum
Culmina vix adeunda viſu.

Tibi Sophorum vidi ego grandibûs
Arſiſſe pugnis atria, porticus
Undâſſe, jurgantisque pulchrâ
Ingenii fremuiſſe rixâ.

O digna ſacrô Nomina ſeculô!
O juncta virtus! ô pia Pectora!
Jo! triumphate! hæc Corona
Grandibûs evigilata curis.

ORA-

O R A T I O.



Cùm diu, multumq; mecum ipse reputarem AA. quid potissimum dicendo afferre possem; quod animos vestros ad benevolam attentionem excitare, & Theologici honoris, quem Viri celeberrimi, post tot tantosq; labores, in hac pervetusta Universitate exantlatos hodie tandem consequuntur, celebritatem adaugere valeret, multa mihi, & illustria quidem singula, obversabantur argumenta. Quæ verò dudum à disertissimis Viris & diligentiùs occupata, & magno sublimis eloquentiæ apparatu tractata luculentiùs, spem omnem eorundem argumentorum, locos strictim cursimq; brevi hoc tempore, quod ad dicendum tribuitur, pro dignitate retractandi, nedum mihi omnium Oratorum infantissimo, verùm etiam cuiq; facundissimo, prorsus eripere animadvertebam. Quamobrem planè intelligebam AA. quàm difficilis mihi deliberatio esset, in tanta Orationis copia, unum illud seligere, quod aliquo pacto extollere possem, quàmq; arduum & periculosæ plenum aleæ negotium subire cogerer, qui de laudibus Theologiæ, atq; Theologorum Virorum sermonem instituere contenderem; præsertim, cùm in hac certatim palæstra Viri omnium eruditissimi disertissimiq; summa cum laude hactenus insudârint. Timendum itaq; & non mediocriter mihi timendum erat, qui cum illis neq; ingeniô, neq; doctrinâ comparandus sum,

ne majore animo quàm consilio dicendi rationem suscipere existimarer. Hujus enim rei magnitudo tanta est & gravitas, ut facilè cujusvis hominis animum, & se rebus omnibus futurum esse parem existimantis debilitare possit ac frangere, nedum meum, cujus susceptæ vitæ rationes id quodammodo videntur suo jure postulare, ut nullum tam leve à me ducatur onus, cui non vires meas impares omnino profitear. Quare tacuissem libenter, ùt pudor mihi à natura tributus admonebat, neq; in hunc locum, qui eloquentissimis Viris semper patuit, unquam descendissem, nisi me ad dicendum Superiorũ authoritas, quam detrectare non licuit, coëgisset. Atq; in tam ancipiti mentis evagatione, in tam difficili cogitationum tumultu, illud in animo meo frequentissimè versabatur, & maximam admirationem pariebat, quòd cùm omnibus luculenter perspectum esset, Theologiam inter reliquas facultates esse præstantissimam, quæ quoad ejus fieri potest cum humanis Divina copulando, mortalitatem nostram, quantùm ejus imbecillitas patitur, Divinæ naturæ arctissima colligatione devincit, quòd inquam supremam hanc sapientiam, hominum generi divinitus donatam à plerisq; contemni, & publicos honorum gradus qui Viris de Theologia optimè meritis deferri consueverunt, ceu leve quiddam ac nugatorium reputari audiamus. Horum ego malevolorum hominum iniquæ ac injuriosæ opinioni respondere in animum induxi, illudq; unum principe Orationis loco statuere. *Præstantiam Theologiæ & Doctoris Theologi* esse omnibûs numerîs absolutam. Id verò, antequam ulteriùs provehar, à vobis summopere contendo AA. ut, quando omne mihi perfugium in vestra benevolentia ac humanitate situm est, tenuitatem meam vestro favore sublevetis, quò mea Oratio, scopum, quem sibi proposuit, faciliùs consequatur.

Atq; ut hinc exordiamur. Si nihil diceremus aliud, nisi

nisi eam, quæ antiquissimô vocabulô Theologia dicitur, scientiam esse quandam, quæ ipsum Deum haberet Authorem & Parentem, quæ Divinæ Sapientiæ thesauros recluderet, quæ ad salutem humanam omnino referretur, tamen illud, ût opinor, liquidô constaret, quantô æterna nativis, immortalia caducis, divina humanis antecellunt, tantò esse hanc facultatem cæteris omnibus anteponendam. Quid enim majus, quid præstantius, quid augustius, quid divinius, excogitari potest illâ doctrinâ, cujus materia subjecta Deus est, finis Deus, Auctor ipse Deus, forma ipsa digna Deô. Ponite vobis AA. ante oculos omnes artes ab hominibus inventas, quæ propter earum rerũ, quas docent magnitudinem, aut propter extremi ejus, quo referuntur, præstantiam, aut propter inventorum gloriam, aut propter exquisitum aliquod & singulare dicendi genus commendantur, ex hac contentione magìs Divinæ doctrinæ splendor elucebit. Illæ humi penitus jacent, & si quando se altiùs erigere conantur, non longè tamen ab humo recedunt; hæc relictìs terrìs àerem superat, & procul ab hominum oculis abstracta, Cœlum ipsum & illas, quæ solo animo cernuntur, incorporeas mentes celeri atque arduo volatu transcendit. Illæ rerum humanarum perangustìs cancellìs circumscriptæ, si quando Divinas attingunt, transferunt ad humanas, hæc in latissimo rerum Divinarum campo libere pervagata, si quando tractat aliquid de humanis, traducit ad Divinas. Illæ solùm de Deo mentibusquè singularibus tradunt, quæ humana ratio consequi potest, at hæc nostra Divino Numine nobis afflata, Philosophis antiquis penitus ignota, cùm nihil doceat, quod non aut Deus ipse sit, aut referatur ad Deum, permulta declarat, quæ suapte natura illustrissima, nobis ob imbecillitatem animi obscurissima, cùm à nemine viribûs ingenii cognosci possent, omnibus credere volentibus Divina benignitate patuerunt. Nostra enim

mira-

mirabilis illa mundi molitio, & primorum hominum tanquam alterius mundi minoris, tam solers, tam stabilis, tam accurata fabricatio, nostra eluvio terrarum & animantium semina Nöé diligentiâ & labore servata, nostra Divina humanæ mentis origo, nostra Christi veri Dei hominis vita & mors, nostra salutaris peccatorum expiatio, judicium de omnibus hominibus formidolosum, spes verè beatæ & æternæ vitæ; quibus de rebus aliisqué permultis, quæ sunt propriæ scientiæ Divinæ, siquid aliquando nonnulli Græcorum sapientes tetigerunt, aut tam inepti fuerunt, ut ridendi sint, aut tam impii, ut detestandi. Et quisquam est, qui alias omnes, si in unum conferantur, scientias cum hac, qua ista tam pulchra, tam admirabilia, tam Divina traduntur, ullo modo comparandas putet? Hæc verò una est omni cura, & studiô dignissima. Hæc una est non tam liberalis vocanda, quàm liberatrix. Hæc scala, quam olim per quietem sanctissimus Patriarcha vidit, cujus gradibus in Cœlum scandere liceat. atque illic Deum intueri, admirari, adorare demittentem semetipsum ex augustissimo illo Majestatis suæ fastigio, se sequé accommodantem ad humanæ conditionis humilitatem, rursusqué eundem defunctum nobili illa servandorum mortalium provincia, spoliatîsqué inferis (o rem omni humana cognitione sublimiorem,) in Cœlum raptum vallatumqué ac stipatum, infinita tum geniorum concinentium, tum hominum de caliginosissimis satanæ ergastulis erutorum multitudine justô ac plenô triumphô Cœlum ingredientem, neque disjecta muri parte; sed valvîs suo sanguine reclusîs, iter eodem nobis omnibus aperientem.

Atque hæc quidem quamvis ejusmodi sunt, ut ad excitandum inflammandumqué quemlibet torpentem animum sufficere posse videantur, tamen ex tam ubere campo alia quædam, nisi molestum est, proferamus. Verè enim

enim illud affirmare posse videor, hanc scientiam & sententiarum varietate & cum eorum, qui instituuntur, ingeniis convenientia omnibus disciplinis antecellere. Etenim illæ sic traduntur, ut iisdem verbis plus uno significare non possint, at hæc Divino munere nobis concessa doctrina, uno eodemque genere sermonis, & rem gestam exponit, & Mysteria Cœlestia subtili magis & arcana significatione demonstrat; in illis verba sola tum propria tum translata significant, in hac verò disciplina planè cœlesti, non modò verba, verùm etiam res ipsæ, quæ significantur, aliquid designant. Illud est Divinæ sapientiæ cum omnibus facultatibus & artibus & scientiis commune, hoc quantumcunque demum est, totum est proprium ipsius. Nihil sibi ex ista laude Grammaticorum exquisitæ reconditæque litteræ, nihil argutiæ Dialecticorum, nihil Oratorum ille apparatus, & quasi pompa decerpit, quin etiam illa ipsa Philosophia, quæ rerum tum humanarum, tum Divinarum cognitionem, & causarum, quibûs eæ continentur, traditarum, se esse profitetur; nomine quidem verecunda & modesta, re autem arrogans & impudens & proterva, nullam sibi partem istius possessionis ne defringendô quidem surculô usurpat; Divinæ sapientiæ de jure cedit, & quidquid dignitatis & ornamenti in hac tam multiplici optimarum artium varietate positum est, id totum hujus unius doctrinæ proprium esse confitetur. Possunt quidem homines, qui sinè dubio cæterarum disciplinarum conditores & amplificatores extiterunt, veteres verborum significationes abrogare, instituere, & promulgare novas, arbitrioque suô verba fabricare, quibûs id significetur, quod ipsi velint: possunt jam res ante factas ad alias declarandas accommodare, licèt non ideo factæ fuerint, ut eas significarent; ùt siquis ea, quæ in aliquo prælio contigerunt, transferat ad ea demonstranda, quæ nobis in hoc bello vitiorum atque

virtu-

virtutùm efficienda sunt ad vincendum; Posśunt aliquid facere, quod ipsum dum fiat, aliud declaret, ùt ille fecit qui filio summîs papaverum capitibùs baculô decussîs Gabinæ Civitatis Principes aliqua arte opprimendos indicavit. Fingere denique multa posśunt tum narrando, tum demonstrando, ùt in Pòëtarum fabulis fieri videmus, omnia verò,, quæ gesta sint aliquando ad alia declaranda narrare ac docere, ut non solùm, dum narrantur, mysticas habeant significationes, sed etiam tum, cùm gererentur, aliud aliquid notarent; hoc nullius hominis est, hoc solius Dei est, quo Auctore nostra sapientia jure gloriatur. Quare in scriptis hominum, cujus illa modi sunt, ubi sententiam eam, quæ vi verborum continetur, cogitatione comprehenderis, nihil habes amplius, quod requiras. Quanquam in historia virtutum exempla proponuntur, quæ sequamur, vitiorum, quæ vitemus, & ex rebus in bello gestis aliqua similitudo peti potest, ad hanc vitæ Christianæ militiam salutaribûs Præceptîs instruendam, atque hæc multò maxima utilitas historiæ jure censetur, tamen, quæ commemorantur, sic interpretari, ut Pompejo Christum, Cæsare malum genium significari dicas, & hujusmodi portenta longa & assidua commemoratione non excogitare solùm, sed etiam mandare litteris, edere, pervulgare, ut nescio quis aliquando fecit; hominis est, siquidem sentit quantam maculam suscipiat, existimationem suam contemnentis, sin autem non intelligit, quantum flagitium admittat, vel stupidi, vel amentis. Fabulas autem vel pueriliter, vel ineptè sinè causa vel ad id tantùm, quod accidisset, aut in natura positum esset, cum voluptate declarandum fictas ab antiquis, ad nostram Religionem traducere conari, Janumquè bifrontem, aut Cerberum tricipitem, aut tres Parcas, aut totidem Gorgonas, aut tridentem Neptuni, aut trisulcum Jovis fulmen, aut clavam Herculis trinodem cum Deo

Trino

trino & uno comparare, cæteraque inania monstra priscorum, ùt non modò ex profanis, verùm etiam ex impiis nonnemo tentavit: quid quæso aliud est AA. nisi gemmas clarissimas luculentis conculcare pedibûs, & splendorem Divinarum rerum impurissimorum hominum sordibûs obscurare? At in litteris Divinis cognita vi & significatione verborum, sive suam quodque sedem obtineat, sive non impudenter migrârit in alienam, quæ pro Deum immortalem! ex rerum significatione subtilitas, quæ Divinitas ad cogitandum, quanta copia, quam grata & jucunda varietas ad dicendum ostenditur? Illæ veteris Legis cerimoniæ umbram quandam habebant veritatis, & quasi notæ quædam erant atque signa eorum, quæ expectabantur. Quàm multæ hinc, quàm novæ sententiæ, quàm admirabiles existunt, quantus utriusque Testamenti & veteris & novi quasi concentus reperitur? Res à Christo gestæ præsertim in sanandis corporum morbis, quid nobis faciendum sit in animis curandis ostendunt: quanta sententiarum ex hoc uno fonte vis, quàm copiosum orationis flumen erumpit ad conformandos hominum mores, ad vitam instituendam, ad monendum, ad cohortandum? Quæ illustribus quondam Viris unius Dei cultoribus tum veteri Lege, tum ante Legem latam naturæ præscripto benè beateque viventibus acciderunt; Liberatoris nostri facta ac Discipulorum solennes Ecclesiæ ritus cerimoniæque sacræ quandam imaginem illius hierarchiæ cœlestis habent, & Divinæ vitæ, quam speramus; quàm immensus campus aperitur, quàm infinita silva proponitur, & ad commentandum & ad loquendum, quàm abstrusæ sententiæ, quàm graves ad erigendam spem suppeditantur? Testes sunt Viri librorum & sapientiæ & vitæ laude præstantium, qui profectò neque ubertatem, neque gravitatem neque varietatem tantam haberent, nisi illi, à quibus conscripti sunt omnes litteras Divinas explanandi vias

 incre-

incredibili stud'ô fuissent, curâ, diligentiâ prosecuti. Qui verba solummodo vidit, quam vim habeant, is Divinam Sapientiam veluti de facie tantùm novit: mentem ipsam occultosquê sensus ille perspicit, qui assiduo usu potest, ab aliis quæ verbîs conclusa sunt, ad quæ rerum significatione ducimur, animô pervenire. Quantò igitur ipsa ratio sermonis hæc præstat omnibus disciplinis ac scientiis humanis, cùm illæ uno sint interpretandi genere contentæ, hæc quatuor tam inter se dissimiles res ac dispares rationes accipiat explanandi? Non dubito AA. quin hanc tantam varietatem, cum ad cogitandum uberem, tum ad ornandum amplam, atque magnificam esse judicetis.

Quod si quis eam, quæ ex levioribus studiis percipitur amœnitatem quoque requirit, ne eam quidem in feracissimis Theologiæ campis frustra desideraverit. Nam, ut cætera omittam, si ipsius historiæ suavissimæ cognitione ducimur, unde veriores, unde scitu digniores historias, quàm ex sacris litteris repetere poterimus? An verò sauvius est cognoscere, quid Crœso in Medos, quid Pyrrho in Romanos expeditionem paranti obliquè Apollo, quàm quid Moysi ad Pharaonem, quid Samueli in Palæstinos proficiscenti, apertè ac perspicuè Deus ipse responderit? Quomodo Regulus à Cartaginensibus, quàm quomodo Servator humani generis Christus à Judæis omni crudelissimorum suppliciorum genere divexatus fuerit? Jucundiusnè aut fructuosius arbitramur intelligere, quibûs artibûs Assyrii, Persæ, Romani cæteras nationes devicerint, quàm quibûs augustissimi illi Religionis nostræ Principes, aliiquê deinceps innumerabiles eorum vestigia secuti, Christianæ ditionis terminos ampliaverint? Magna hæc sunt & præstantia AA. quæ à me de Theologia afferuntur, sed longè majora longèquê præstantiora nostrîs etiam oculîs usurpabimus, si ea in Doctore Theologo paulò diligentiùs consideremus.

Non

Non est profectò, non est quidpiam leve ac nugatorium Doctoris nomen, nec officium AA. Hujus equidem si origines paulò altiùs persequi studeamus, atque non ita arctîs definiamus regionibûs, una cum litteris natum, & usque ad hæc nostra tempora propagatum fuisse facilè possumus assentiri. Nisi enim extarent omni tempore hujusmodi Viri, qui has litteras & ipsi per se excolerent, & cum aliis communicarent; sanè intelligi non potest, quonam pacto post hominum memoriam profectæ, nobis etiam incolumes redditæ spectarentur. Litterarum autem originem, progressum & incrementum retexere, tantò magis supervacaneum existimo, quantò certioribûs historiarum erudimur argumentîs, easdem primo Protoparenti nostro à summo Conditore donatas ad nos posteros promanâsse. Illud tamen cum veritate dici potest, cum scilicet procedentibus Annis Academiarum, Doctorumque numerus per Orbem in immensum augeretur, tunc de certa & meliori profitendi ratione, de numero Annorum, de severioribus Legibus, quæ ad varios adimendos abusus ubique observarentur, summos Pontifices, Imperatores, Reges ac Principes, Litterarum ac Litteratorum amatores immortalî memoriâ consignatos, eam inivisse cogitationem, ut nimirum authoritate publica à Scholasticis conventibus, solenni & accurata disquisitione priùs facta, certum virtutis atque eruditionis testimonium, non vanæ levitatis, aut nugatoriæ opinionis titulum, habituri Doctores crearentur. Quod factum esse cùm Bononiæ, olim Felsinæ ante tredecim sæcula sub Theodosio juniore ex Privilegio Academiæ Bononiensi concesso, tum Parisiorum Lutetiîs æræ Christianæ adhuc Annô 791. sub Carolo Magno ex Epistola ejusdem Religiosis Lectoribus demandata legimus, atque etiam non interrupta Annorum serie ùt in aliis, ita in hac Universitate Filia Parisinæ hodiedum fieri observamus. Neque debet erubesce-

re idcirco veneranda antiquitas, si quid melius horum, quæ ipsa tradidit, novitas adinvenit. Omne enim artificium paulatim ad meliorem frugem per eruditionem accedere, & suum incrementum recipere nemini ignotum esse arbitramur. Quanquam autem hoc nomine honorificentissimo decorentur illi, qui vel Legibus vel alicui ex supremis autem superioribus, ùt vocant, facultatibus operam navantes publicum de doctrina approbatæ Academiæ testimonium acceperunt, illud tamen non mea quidem sententia sed doctissimorum Virorum atque ipsa sic statuente Lege affirmare debeo, Doctores Theologos ob præstantiam, Majestatemqué officii, quod sectantur longè cæteris anteire.

Omnes quidem in societate Christiana, qui non sibi solùm prospicere, sed etiam aliis, quoad possent: adjumento esse voluerunt, duobus mihi generibus videntur contineri. Partim enim non docendo sed agendo, alios ad probitatem & morum sanctitatem incitare studuerunt. E quorum numero fuerunt castissimæ illæ virgines & viduæ, quæ inusitato vitæ genere, Beatorum statui peculiari sæpe ipsis teterrimis Christianæ Religionis hostibus maximæ admirationi extitêre. Ex hoc Antonii, Pauli, Onuphrii, Hilariones, Benedicti, Brunones, aliiqué Divini homines prodierunt, qui abjudicatîs à se facultatibûs Patriîs & avitîs, voluptatibûs corporis recisîs, majorum dignitate contempta, spe rerum humanarum abjecta, solitudinem oppidis, abditissimos nemorum recessus, frequentissimis urbibus, feras agrestes hominibus, antra tectis, molli lecto asperum solum, somno peramœno assiduas vigilias, inediam saturitati, laborem quieti anteposuerunt. Alter est gradus paulò altior eorum, qui rerum cognitione divites, multorum intelligentiâ præstantes, nec etiam dicendi ornamentis inopes jam persuadendo, jam erudiendo, jam cohortando cæteros ab errorum tenebris

ad

ad lucem veritatis, à turpitudine ad honestatem, à scelerum enormissimorum colluvie ad virtutis pulchritudinem, ab immanitate ad comitatem traducere contenderunt. Quo de genere processerunt Gregorii, Athanasii, Epiphanii, Irenæi, Justini Martyres, Dyonisii Areopagitæ, Cyrilli, Clementes, Cypriani, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Thomæ Aquinates, Bonaventuræ Seraphici, Joannes Cantii & complures alii sublimem doctrinam pari cum sanctimonia veluti sororino nexu ligantes. At verò ex duobus à me recensitis hominum alios adjuvare pro virili parte cupientium generibus, licèt priores tantò sint posterioribus præponendi, quantò plus ad torporem aliorum excitandum valent exempla, quàm verba; neutrum tamen horum mihi videtur perfectum, si debitis præsidiis destituatur. Nam fac abesse vitæ dignitatem, quid quæso virium & roboris ad imperitæ concionis animos regundos, sapientia ea habeat, quam docentis flagitiosa vita confutet & refellat? adsit probitas, quid amabò illa proficiet, cùm vel ad consilium dandum in rebus arduis doctrinæ, vel ad sedandas perversas populi cogitationes, ad profligandas innumeras pravorum dogmatum copias sapientiæ subsidia desiderabit. Is igitur erit Doctor Theologus omni laude cumulatus, mea quidem sententia hoc tam gravi dignus nomine, qui & quamcunque rem sapienter providendo, & vitam castè sanctèque degendo, multitudinis turbam Christi morte ex faucibus inferni ereptam, ejusdem pretiossimo sanguine in libertatem filiorum Dei redemptam bona docere, mala dedocere sic poterit, ut nec invitè nec inutiliter audiatur. Quò autem exactiùs muneris sui partem Doctor Theologus absolvat ego quantum assequi cogitatione possum, multorum eadem de re judiciis auditis duplicem eidem, qui sit futurus vitæ Magister, populi Christiani Rector, temperator animorum,

Dux

Dux omnium, per tot tantaque pericula ad altissimum Sanctorum domicilium magno labore, nisu, & sudore contendentium, duplicem inquam illi rerum cognitionem pernecessariam esse arbitror. Unam earum, quæ propriæ sunt hujus adeò perplexæ functionis, alteram earum, quæ ad illas percipiendas & dignè tractandas, non parvum auxilium præbeant, foris sunt assumendæ. Illa primi generis Theologia perquam apositè vocatur, cujus summa est fides, spes, caritas. Fide ad Deum accedimus, spe adhuc in diebus carnis nostræ ipsum quodammodo tenemus, caritate cum eo copulamur. Fides tandem aliquando cedet, spes evanescet, caritas una multò perfectior remanebit. Fidem exulantem lumen gloriæ, clarissima nempe felicissimaque visio excipiet, fugientem spem summi boni stabilis possessio consequetur, caritatem fortiùs corroboratam & aspectus & usus tantæ felicitatis vehementiùs inflammabit. Citra hujus ergo accuratam peritiam, non ille provinciæ sibi commissæ satisfaciet, ut potiùs tantò paratior sit ad nocendum, quantò à sacra religiosaque doctrina minùs instructus ad instituendum. Imò veriùs is maturandæ necis, quàm salutis animarum reparandæ Auctor existet. Secunda cognitio omnes humanas disciplinas, multijugem eamque non levem & perfunctoriam antiquitatis totius notitiam comprehendit. Nam cùm Doctori Theologo sua est Religio non explicanda modò, sed etiam ab oppugnatoribus defendenda, & qui Christianæ Religioni errores adversantur, sunt ii omnes reprimendi, configendi, & proscribendi, Bone Deus quàm versatus in Philosophia sit oportet ejusmodi Theologus! Quid enim si qui hominum, quod sæpe jam accidit, eò furoris prolabantur, ut Deum de medio tollere, sapientissimæque Illius Providentiæ nefarium bellum indicere, animorum perennitatem inficiari conentur, nonne argumentis ex intima Philosophia depromptis

tanta

tanta hæc, tamque ferina impieta's procul ultra Orbis terrarum margines amandanda, exsibilanda atque explodenda? Quod si contra alii unius Imperium pertæsi, multa in hunc vastissimum superorum, mediorum, infimorum, ambitum numina inducant, nonne ficta hæc & commentitia deorum multitudo ex ipsis humanitatis principiis veterumque Græcorum dictis destruenda stirpitus, & disturbanda? Quid si perditissimi Philosophi pulcherrimum Dei munus ad Religionem conculcandam, ad ejus lucem obscurandam, ad nomen Christianum extingvendum atque delendum convertentes, quales & Celsus, & Porphirius, & Julianus desertor levissimus, & Spinosa Rituum nostrorum irrisor petulantissimus plus justô Philosophiæ tribuens, aliique fuerunt, & ad hæc usque tempora, quod valdè ægrè ferendum, sunt; si inquam hi perditissimi Philosophi acerbiùs in Romanam fidem & contumeliosiùs invehantur, & quæ ejus sunt summa & sacrosancta imprimis capita omni argutiarum genere infirmare atque abolere, vel tanquam rationi humanæ repugnantia, ac planè falsa in dubium revocare satagant, nonne horum ipsorum Philosophorum, aut si Diis placet perversissimorum Theologorum in Christum sacramque illius apud sui Vicarios relictam doctrinam maledicta ex iisdem eorum capitibus retundenda, & quæ contra sunt objecta ex illis ipsis, ex quibus ducta sunt locis dissolvenda? nostra verò æternæ veritatis placita, quàm cohærentia inter se sint, quamque nihil discrepans, & à recta ratione alienum contineant, Philosophicô identidem argumentô demonstrandum? nonne obviam castris inimicorum eundum, amentia frangenda, præpostera de Religione sentiendi libido, ne impunè grassetur refrenanda, ovilisque Christi tranquillitas in tuto collocanda, tabes & lues eradicanda? Paucis loquar: gladius extorquendus est hosti de manibus, suo proprio mucrone petendus, eique illa ipsa acie caput amputandum,

dum, qua hîc nostrum jugulum ferire intendebat sicqué ex morbo medicina facienda. Enimvero quid testimoniorum nostrorum pondus tametsi gravissimum atqué Divinum apud eos unquam valeat, qui ne tantillum eorum monumentis concedunt. Si jam universus virtutum ornatus firmamentum Divinæ doctrinæ & robur accedat, explicari vix potest, quantò fortior sapientia apparebit. Nam eum, qui mentem exquisitissimis disciplinis compleverit, mores autem retineat scelestos, maléqué oleat, doctum ego fortassis permittam, quod nec priscæ superstitionis sectatoribus Philosophis vera probitate destitutis adimo, ast sapientem, ipsius virtutis optimæ parentis filium, sive virum sibi & aliis utilem, Doctorem Theologum, qualem rigida Christi exigit Schola citra omnem dubitationis aleam negabo. Quid enim litteræ in homine nequam & improbo? nisi ensis districtus vesano & furioso, quo interficiat perimatvé, datus, nisi sica omni humanitatis sensu exuto latroni concessa. Tristissima hac de re plusquàm millena habent Ecclesiæ Annales exempla, quæ nulla unquam ætas satis lugebit, nulla delebit oblivio. Quos namque orcus non evomuit homines, qui typho superbiæ tumidi, Philosophiâ armati, eloquentiâ stipati, favore Principum formidabiles contra Ecclesiam aperto marte vexillum erexerunt, illiusqué Sacrosanctam Authoritatem conferta manu atque conglomerato agmine oppugnârunt. Quin & ipsamet Ecclesia proh dolor! perduelles interdum peperit filios, qui virulentas doctrinas molientes, diraq; schismata invehentes, viperino dente ejus viscera prosciderunt, illius inconsutilem tunicam varias in partes diruperunt. Stetit quidem invicta Sponsa Christi tutissimô sanæ disciplinæ clypeô munita adversus conjuratas potentias, tantam nihilosecius ediderunt stragem, ut inflicto vulneri in membris à corpore mystico resectis non protinus mederi valeret;

Istiu

Istius notæ sapientibus, qui vitâ moribûsque corrupti ad indignas homine voluptates cum animantibus rationis expertibus depressi, vagîs absurdîsque opinionibûs à lumine veritatis abducti, qui inquam non sapientiam, cujus se falsò amatores prædicant, sed temeritatem, non doctrinam, sed errorem consectantes, utile ab honesto sejungentes, improba quæque somniârunt & nefanda, nihilque præter inanissimum adulterinæ sapientiæ nomen, solidi, nihil sapientiâ digni posteritati reliquerunt, tantum abest, ut album calculum adjiciam, ut satiùs tanquam generis humani probra & veræ sapientiæ hostes toto Orbe ejici percupiam. Quare si aliquid sapio, sic omnino statuo: morum integritatem, vitæ innocentiam, omnemque singularem animi probitatem, strictissimam, habere cum sapientia Doctoreque Theologo necessitudinem. Profectò ipsum Theologiæ nomen adeò per se sacrum, venerabile & divinum est, ut quidquid non dicam enorme & flagitiosum, sed vel tenuissimum humanæ imbecillitati affine vitium ab hujus integerrimæ facultatis cultoribus prorsus excludat. Cùm sic comparatum, esse advertimus, ut Theologia & Religio, Religio & virtus, uno eodemque spiritu vivere videantur.

Tenemus jam AA. tenemus Viros Theologicâ laureâ dignos, nomine & re dici Doctores promerentes, quos cursu hujus Orationis tantò studiô quærebamus. Tanta, enim est horum Virorum, quos præsentes suspicimus, commendatio, tanta virtus, tam singularis sapientia, ut ab illis hæc ipsa scientiarum Universitas, ipsa Patria atque Religio, plurima bona se habere, majoraque polliceri non immeritò glorientur. Namque ad summam consummatamque omnium rerum scientiam contendentes, cùm planè perspicerent humanioribus disciplinis viam & rationem ad reliquas superiores comparari, primos pueritiæ annos tanto voluntatis ardore illis devoverunt, ut

C non

non, quod ajunt, litteras primis deguſtarent labris, ſed linguam Latinam, artem Oratoriam, Poëticam facultatem, totamque humanitatem penitus abſorberent. Vidiſti porro Alma Univerſitas, non fuiſſe deluſam tui expectationem, vidiſti in utroque hoc Viro pectoris tui robur & gaudium, proinde uti juſta ingeniorum coronatrix, eruditam utriuſque virtutem, & præclaram eruditionem, utrâque in AA. LL. laureâ exornaſti. Hac nova litterarum honoris acceſſione adaucti, deferbuitne putatis illorum ardor in ſcientiarum contemplatione? relanguitne ſedulitas in veritatis indagatione? procul id ab eorum inſtituto abfuit. Quin verborum Eraſmi non immemores; nulla ſcilicet faciliori uſpiam ratione poſſe in doctum evadere quempiam, quam ſi doctis aſſiduè conviveret, ſi doctos attentè & reverenter audiret, ſi doctos invictè legeret, ſi doctos diligenter evolveret, huc omnes nervos intenderunt, ut ex convictu, auditu, alloquio doctorum, ſeria librorum lectione, & quotidiana eorum ruminatione, doctiores redirent, ſemqerque ſuo, quem indeſeſsè excolebant agro, aliquid bonæ frugis accederet. Intueamur ergo ſolertiſſimos Philoſophos, qui inſignibus honoris Philoſophici cohoneſtati, naturæ penetralia ſubtiliſſimè ſcrutantur, altiſſimas rerum cauſas incredibili celeritate aſſequuntur, Phyſica arcana ſapientiſſimè explicant, lites & controverſias; ſive Philoſophiæ Profeſſores, ſive inc ytæ Facultatis Philoſophicæ Decani conſtituti, optimè dirimunt, motus diſcep:antium, feliciter ſedant, obſcura in luce ponunt, intricatiores Philoſophiæ nodos facillimè reſolvunt. Et quod principe loco ponendum eſt, Geometricas menſiones, cœlorum diſcrimina, ſiderum machinas, volubiles ac inexhauſtos ſæculorum tractus, verbo. quidquid in tota Matheſi continetur, uterque plena ac perfecta cognitione comprehendit.

Quan-

Quanquam verò ita elevabant mentem ad cœli & astrorum aspectum, ut simul & voluntatem jucundissimo pabulo replerent, atque ex his, quæ sunt hominibus patefacta divinitus, Fabricatorem tanti operis investigarent, amore illius summopere inflammarentur, nihilosecius non sunt contenti istâ profanarum artium peritiâ imbui, nisi rerum Divinarum, seu Theologicarum mentem suam ad omnia bona docilem pari vel majori conatu retulerint. Grande piaculum meritò rati eos, qùi olim laboranti Ecclesiæ opem laturi, & illos, qui ad Christianam veritatem infringendam, adulterandam & corrumpendam multa ingeniosè & callidè comminiscuntur, refutaturi erunt, armis idoneis ex profundiore Theologiæ penu erutis non muniri. Cùm enim ex oraculo Divino editum sit, pestiferas opiniones Religioni contrarias apud Christianos suboriri debere, in eam adducti sunt cogitationem Viri acutissimi, non modò perutilem, sed etiam magnopere sibi necessariam sacram doctrinam, qua falsas illas erroneasquè sententias, si aliquâ rimulâ irrepserint, coarguant, ipsiusquè fidei inconcussæ præcipuos articulos, quibûs nihil firmius, ac solidius esse unquam potest, ex ipsis Divinis principiis stabiliant ac illustrent. Ad hanc igitur principem augustissimamquè scientiam emenso vastissimo Philosophiæ curriculo, studiosam voluntatem eo animi ferventis æstu converterunt, ut in sacris litteris pertractandis toti dies noctesquè versentur, nihilquè, nisi de sacris rebus agant, loquantur, cogitent, quasi natura eos hac una de causa genuisset, ut res sacras perpetuò contemplentur. Cùm autem ad hoc amplissimum ac penè Divinum munus rectè obeundum, honestatis, probitatisquè amor maximè juvet, quod à me dictum meministis, si quis mihi Deus eam dicendi rationem, vim, ac facultatem traderet, qua possem honestissimas quasque vivendi rationes ab ineunte ætate ab illis susceptas, & ad hoc

usque tempus perductas, satis dignè commemorare, non est mihi dubium, quin æternam & immortalem apud mortales omnes futuram summæ virtutis eorum memoriam non mediocriter amplificaturus essem. Hæc enim singula Viris in hac sacra facultate celeberrimis, primisque Capitibus documento fuêre, ut eos omni ex parte dignissimos concordi voce Infulîs Theologicîs decorare, & in venerandum Doctorum cœtum cooptare videantur. Sed cùm ingenii mei vires perexiguæ sunt, virtus autem illorum incredibilis ac propè Divina, certè non decus aut splendorem ab Oratione mea capere potest, sed contra potiùs à virtute horum præclarissimorum Virorum genium & immortalitatem Oratio mea, si qua foret sinè ulla dubitatione esset receptura. Verùm, quod neque unius hominis parùm eloquentiâ valentis conatus, neque exiguum temporis spatium ad exarandas laudes, horum Virorum constitutum semel satis præstare possunt, id eis Alma hæc scientiarum Parens ad gratam & immortalem nominis, laborum, meritorumquè deprædicationem perpetuò præstabit. Transmittet de ætate in ætatem illa seræ posteritati, & donec litteris suus habebitur honor, eousque dulcissima illorum recordatio bonorum omnium vocibûs personabit.

Typis Collegii Majoris Universitatis Cracoviensis.

